DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHLOROSI.

6

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

CHLOROSI;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS DROUGHT,

HIBERNUS.

——— Your cheerful days are gone;
The generous bloom, that flushed your cheeks, is fled:
To sighs devoted, and to tender pains,
Pensive, you sit, or solitary stray,
And waste your youth in musing. ARMSTRONG.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS BALLANTYNE.

1805.

VIRO EGREGIO,

ROBERTO STUBBER,

DE MOYNE,

IN COMITATU REGINÆ,

ARMIGERO,

ANIMI BENIGNITATE, VITÆ INTEGRITATE,

ALIISQUE VIRTUTIBUS,

QUÆ VIRUM ORNARE POSSUNT,

EXIMIE CONSPICUO,

HASCE STUDIORUM IN MEDENDI

SCIENTIA PRIMITIAS,

QUA DECET, OBSERVANTIA,

D. D. CQUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHLOROSI.

HUNC morbum medici attentionem sibi merito vindicare facile patebit, si tantummodo paulisper perpendamus, non solam foeminarum valetudinem et felicitatem a mensium fluxu stabili et regulari pendere, verum etiam species nostras propagandi facultatem. Natura non solum ne penitus pereat soboles sua, verum etiam ne nimis cito multiplicetur genus humanum, curam gerens, caute statuit, ut mulieres procreandi facultatem certis temporibus et intra fines statutos

tantummodo exerceant. Periodus haec prima mensium origine et cessatione probe definitur, hanc vero multum pendere a regionibus in quibus vitam degunt, ex habitu corporis, vario regimine, et forsan ex moribus harum, cum quibus versatur, fatendum est. In Graecia, Persia, India, et aliis regionibus intra zonam torridam, corpus humanum cito adolescit, organa genitalia raptim evolvuntur, ad propria munera idonea facta, et omnes corporis partes, tenera adhuc aetate, ad justam formam et magnitudinem perveniunt. In his locis puellae, octavo vel nono aetatis anno, menses profundere incipiunt, et non raro circiter decimum matres fiunt.

Observatu dignum est, quod mulieres, in regionibus calidis, praesertim intra zonam torridam, non modo non amantur, ut ne quidem in ullo honore apud homines sint; contra prorsus negliguntur, et in servitutem rediguntur; quia in his regionibus torridis summum vitae attingunt, et quidem senescere incipiunt, intellectu aliisque mentis facultatibus, quibus apud homines foemi-

nae venustae tanti semper valent, adhuc immaturis. In nostra vero regione, mulieres, tum corporis venustate, tum animi ingenio pariter insignes, adeo formosae et amabiles evadunt, ut hominum animos veneris grato vinculo irretiant.

Progredientibus vero, a Graecia, regiones versus septentrionales, fluxus hic gradatim protrahi videtur, eadem ratione, qua imminuitur coeli temperies, donec ad Laponiam, Greenlandiam, et tractus sub zona frigida jacentes, perventum est. Hic corporis incrementum, quod mole semper parvum est, tarde perficitur, fabrica humana sero explicatur, et nisi multos post annos elapsos, varias functiones ejus perficere nequit. In his regionibus, menstrua sero et exigua quantitate profunduntur, per tempus non nisi breve durant, post intervalla admodum longa redeunt, et multis e foeminis per tempestatem aestivam solam proveniunt, dum alimenta abundant, dum calor perstat; apud has nationes tamen non minus, quam apud incolas regionum temperatiorum, conceptioni et valetudini systematis com-

modae necessaria sunt, et quilibet a lege naturali digressus pro morbo habetur, et sterilitatem facit. In hac autem regione, corporis incrementum ejusque partium explicatio, minus quam in frigidis, magis vero quam in calidis, protrahuntur, et menstrua intra tredecimum et decimum-sextum aetatis annum primum apparere solent. Hoc vero multum pendere ex habitu corporis, vitae consuetudine, moribusque harum cum quibus versatur, facile patebit; omnia enim quae corpus relaxant, plethoramque inducunt, uti lecti molles, cubicula calidiora, ignavia, victus lautus, liquorumque sedantium plus aequo usus, theae scilicet et coffeae, fluxum maturum et copiosum; frigus contra, fames, labor durus et continuus, eundem seriorem nimis parcum et dolentem reddunt.

Ex antea dictis causis hujus fluxus quantitatem designare, non modo difficile, verum etiam impossibile fore, manifestum est; quoniam in eadem regione in diversis foeminis, et in eadem foemina diversis temporibus, plurimum variatur. Rem ita se habere ex sequenti observatione, con-

cludendum est; scilicet in omnibus plagis calidioribus, Asiaticis praesertim, ubi fertilitas soli incolas semet inertiae, corporisque voluptatibus dedere patitur, menstrua non tantum facile et frequenter, sed interdum adeo copiose profundi, ut animi deliquium et mortem subitaneam inferant. Attamen quantitas generalis, cui plerumque respondet hic fluxus, in Graecia ab unciis sexdecim ad octodecim variare, in hac regione a quatuor ad sex; in Laponia vero circiter duas esse censetur. Quoad hujus evacuationis cessationem, notatu dignum est, quo citius incipit, eo citius desinit, et vice versa. Mulieres, quibus anno octavo vel nono effluxere menses, circiter vigesimum menstrua profundere cessant, et anno trigesimo aetatis elapso, senectutis incommoda persentire incipiunt; eae contra, quae ante mensium profusionem annum vigesimum vel vigesimum quintum attigerunt, ad sexagesimum aetatis annum saepe pariunt. In hac vero regione, menstrua mulieribus annos quadraginta vel quinquaginta natis, non amplius profundi solent. His legibus tam prudenter insti-

tutis provida rerum parens caute sanxit, ut mulieres ea sola vitae tempestate, qua ad prolem suam alendam maxime valent, procreandi facultatem tantummodo exerceant.

Appropinquante pubertate, totum utriusque sexus corpus multas et graves mutationes subit: "et nunc demum differentia sexuum quod ad corporis constitutionem in infantibus fere nulla, in pueris atque puellis obscura, neque semper observanda, manifeste se prodit." Nunc natura ad hanc partem operae suae perficiendam maximas impendere curas, vel etiam totis viribus niti videtur. "Sanguis majore copia ad organa genitalia tendit, quae prius inutilia, et parva, et lente, pro rata tantum parte cum reliquo corpore crescentia, mutantur subito, crescunt, et evolvuntur, ad propria munera idonea facta. Tum pubes venit, semenque foecundum mari secernitur, cujus stimulo adolescens ad grata veneris munera incitatur. Neque sola genitalia organa mutantur pubertate; enim nunc barba pullulat, vox

fit gravis et magis sonora, corpus firmius et validius evadit, et saepe multum et subito crescit*."

"Nec minus notum est, quanta virgini alteratio contingat, increscente primum et tepefacto utero; pubescit nempe, coloratior evadit, mammae protuberant, pulchrior vultus renidet, splendent oculi, vox canora, incessus, gestus, sermo, omnia decora fiunt†."

Menstrua mox eruptura esse multa testantur. Nam systema universum, quasi per consensum affici, et oppressione generali laborare videtur; nisumque hujusce profluvii comitantur languor, lassitudo, capitis dolor, sensus oppressionis, nausea, ponderis perceptio, dolor circa lumbos et uteri regionem obtusus. Haec signa subsequitur sauguinis profusio, et quidem gradatim levantur, prout increscit profusio, donec tandem ex toto

---

* Vid. Greg. Conspect. Med. Theor.
† Harv. Exerct. de Partu.

evanescunt; tunc oculi splendorem, malae colorem sanum et naturalem recuperant.

Si vero menstrua justo tempore non profundantur, plerumque oriuntur mala corporis habitudo atque indicia multa gravia, quae virginem acriter vexant. Haec prout a nosologiae scriptoribus collecta, recensita, et in ordine collocata, morbum qui emansio mensium vel Chlorosis dicitur, (de quo in hac dissertatione agendum erit) constituunt. Hunc morbum verbis sequentibus definivit CULLENUS.

DEFINITIO.

"DYSPEPSIA, vel rei non esculentae desiderium; cutis pallor vel decoloratio; venae minus plenae, córporis tumor mollis; asthenia; palpitatio; menstruorum retentio*."

HISTORIA.

QUONIAM menstrua nulla definita àetate effunduntur, saepe enim multum variant ex aetate, corporis habitu, coeli temperie, &c. hinc nonnullis solito citius, aliis vero serius, valetudine tamen perstante, profunduntur. Retentio itaque

* CULLEN. Synop. &c.

sola pro morbo habenda est, cum stipatur his signis morbosis, quae mensibus retentis attribui solent, et quae fluxu eorum amoveri cognita fuerunt. Signa, quae menstrua retenta excipiunt, ordine sequenti enumerantur. Aegra primum corripitur languore, et lassitudine; et animo insigniter demisso, sodalium consortium negat, quo nuper tam delectari solebat, et quidem omnem societatem aversatur et odit, ut tristitiae liberius indulgeat. Aegra omnibus pravae concoctionis signis, qualia sunt, anorexia, nausea, vomitus, cardialgia &c. tentatur; cibi appetentia minuitur, et quidem adeo depravatur, ut terra calcarea, creta, carbones exusti, et alia praeternaturalia vehementer appetantur. Eximius oris color evanescit; et plerumque in pallidum, subviridem, aut flavum mutatur. Palpebrae saepe tument, mane praecipue; labra colorem suum amabilem, pyropi splendorem aemulantem, ammittunt; circulusque lividus oculis, qui olim radiabant, jam hebescentibus circumdatur. Venae minus plenae sunt; et arteriarum pulsus plerumque citi, exigui, ac debiles, aegram formosam aestu febrili ardere indicant.

Tensionis ac ponderis sensus in artubus sentitur; pedes saepe frigescunt, et una cum talis, partibusque vicinis, potissimum sub noctem tument; corpus molliter tumet. Capitis interdum, certius vero dorsi et coxendicis dolores, aegram vexant. Spirandi difficultas, palpitatio, et haud raro syncope motu corporis vivido excitantur, corporis habitus laxior, et magis irritabilis fit; aegra rebus levissimis turbatur; mutabilis hysteria identidem varie dominatur, atque mentem lubricam quasi ex libidine rapit; aliquando moesta ac cogitabunda sortem suam miseram plorare videtur. Totum corpus torpore et asthenia afficitur; ab omni motu aliena est. Ingratus oris sapor adest. Lingua sordida saepe crusta alba obducitur. Alvus plerumque astringitur, nonnunquam vero soluta est. Urina primum sine odore limpida est, morbo autem provecto turbida fit, mensesque per totum morbi decursum retinentur. His signis ingravescentibus, pedes et profecto totum fere corpus aqua inter cutem intumescunt, vires quotidie deficiunt; moerore marcet animus, virgoque infelix et miseranda,

tandem vel hydropi, vel febri hecticae, immatura succumbit.

RATIO SYMPTOMATUM.

SIGNORUM permultorum et adeo diversorum, quae hunc morbum comitantur, rationem reddere difficile fore, patebit. Priusquam vero hoc aggrediar, pauca praefari necesse erit. Corporis humani fabrica adeo complicata et elaborata est, et inter omnes ejus partes nexus tam intimus existit, ut aliqua parte male se habente, totum corpus ex consensu patiatur. Hocque citius aut serius efficitur, prout pars sic affecta ad totius systematis valetudinem plus minusve confert, vel secundum consensus gradum, qui hanc inter et alias partes existit. Ex eo tam insigni consensu, qui, ut omnes medici volunt, uterum inter et ventriculum obtinet, explicanda sunt multa symptomata; utero enim male affecto, officiis propriis

fungi minime valet ventriculus. Succus gastricus, ex quo potissimum pendet concoctio sana, vel justa quantitate non secernitur, vel forsan aliquo modo vitiatur. Hinc oriuntur anorexia, nausea, cardialgia, aliaque dyspepsiae signa. Gastrodyniae explicatio ex ventriculi acore petenda est; acidum enim ventriculi tunicas vellicat, et sensum molestum excitat. Rei non esculentae desiderium, e naturae instinctu raro fallaci pendet; antacida enim ad acorem corrigendum caeco quasi impetu desiderantur, et consumuntur. Faciei pallor, colorque flavus et subviridis sanguinis motui nimis languido referenda sunt. Ea enim est debilitas vasorum, ut sanguinem rubrum justa quantitate ad superficiem corporis propellere non valeant. Pedum oedema, et magna totius corporis ad hydropem proclivitas, vasorum exhalantium nimiae laxitati, et forsan etiam quoque sanguini plus justo attenuato tribuenda sunt.

MORBI CAUSAE.

Sub hoc capite enumeranda sunt omnia, quae systema relaxant et debilius reddunt, sive interne sive externe applicata, qualia sunt; aer humidus, inertia, exercitatio violenta, omnia mentis pathemata, uti tristitia, metus, moestitia, et omnia quae veneris desiderium frustra accendunt, thea, coffaea, et liquores alii debilitantes, fames, labor durus, somnus immodicus, vigilia nimia, excretiones solitae suppressae, exinanitiones magnae et insolitae, aliaque fere innumera quae vires aegrae convellunt. Haec omnia corpus debilius et magis flaccidum reddunt, vim tonumque vasorum imminuunt, ita ut vel nulla sanguinis abundantia fieri potest, vel siqua facta fuerit, vis nulla adsit quae sanguinem ad uterum invitet, vel per ejus vasa propellat.

Debilitas verisimiliter nonnunquam causa, aliquando vero effectus hujus morbi habenda est. Debilitatem aliquando mensium retentionem efficere, sequenti observatione confirmatur; scilicet, febres, phthisin, aliosque morbos diuturnos, qui magnam debilitatem inducunt, non tantum retentionem, verum etiam mensium suppressionem facessere, fluxu eorum antea consuetudine stabilito. Si vero debilitas aliaque chlorosis signa, virginem sanam atque jamdictis causis debilitantibus minime obnoxiam, solito menstruorum fluxus tempore, subito grassentur; tunc retentio, defectui istius conditionis ovariorum, unde secretio humorum foecundorum qui utero stimulo videntur esse, tribuenda est; debilitas autem morbi effectus habenda est. Unde exoritur hoc ovariorum vitium, magna adhuc difficultate premitur, atraque caligine mergitur, forsan ex mala partium conformatione. Ut ovaria bene valeant, huic evacuationi necessarium est, vel saltem sunt; *sine qua non;* si enim excidantur, menses profluere ex toto cessant. Hoc verum esse, docet historia miserandae mulieris, cujus ovaria bina POTTIUS

per errorem radicitus excidit*. In hac muliere ovariis excisis, menses provenire omnino desinebant.

DIAGNOSIS.

Signis modo recensitis, chlorosis tam bene depingi videtur, ut ab omnibus fere aliis morbis facile discriminetur; et quidem si rite perpendantur, vix cum aliis confundi potest. Attamen quoniam nihil in re medica difficilius, vel medici attentione dignius, quam inter morbos accurate distinguere, signa pauca praecipua, quibus, a Dyspepsia, Hypochondriasi, et Phthisi pulmonali dignoscatur, quam breviter designare conabor; nam cum alterutro ex his solis, ut opinor, confundenda est. Dyspepsia, dolore ad dorsum,

* Vide Pott's Observations on Ruptures.

lumbos, vel femora nunquam sese extendente, sed ventriculum maxime afficiente, absentia rerum non esculentarum desiderii, et fluxu mensium regulari, a chlorosi discriminari potest. Etiamsi alias accideret, nil tamen mali exinde oriatur, in ambabus enim curandi modus et indicationes fere eadem sunt.

Hypochondriasis rarius foeminas, frequentius homines, praesertim qui aetate provecti sunt, aggreditur. Qui melancholico temperamento praediti, huic morbo prae caeteris obnoxii sunt. Temperamentum melancholicum optime designatur signis sequentibus, nempe; magna fibrarum rigiditate, capillis hirsutis, atque nigris, vultu tristi, severo, atque cogitabundo. In hypochondriasi tanta ad metum proclivitas est, ut vel minima vel nulla forsan existente causa excitetur. Ideae quaecunque hypochondriacum tenent, has perseverentia notabili prosequitur, et investigat, et optime de omnibus ratiocinatur, sanitate sua sola excepta, de hac enim opinionem suam tenacissime defendit, et quo magis infirmare conaris,

eo firmius menti infigitur. His signis characteristicis hypochondriasis a chlorosi facile dignoscitur.

Discrimen phthisin inter et chlorosin multo facilius reddetur, si memoria teneamus phthisin saepe morbum haereditarium esse, ex vi thoraci illata, haemoptysi, catarrho vel asthmate, haud raro oriri, scrofulaque affectas prae caeteris aggredi. His, et tussi, dyspnaea, dolore in quadam thoracis parte, expectoratione purulenta, sanguineque frequenter tincta, exacerbationibus vespertinis, sudoribus matutinis, et magna corporis emaciatione, et debilitate, diagnosis in patulo erit.

PROGNOSIS.

Hic morbus saepenumero quidem sanatu admodum difficilis, raro in mortem desinit. Attamen ut de exitu ejus recte judicemus, magna per-

spicuitate atque judicio saepe nobis opus est. Si morbus ex causis debilitantibus oriatur, et adhuc recens sit, et si cachexia, hydrops, febris hectica nondum supervenerint; tunc has causas amovendo, et regimine nutriente, concoctuque facili, eaque remedia recte adhibendo, quae systema roborant, uterumque stimulant, et in actionem cient, sed prae omnibus, exercitationem lenem, et continuam usurpando, exitum felicem fore, sperandum est. Si vero ex defectu quodam, vel mala ovariorum conformatione originem ducat, (quod raro quidem accidit) eventum infaustum fore, concludere licet. Hoc autem pro certo explorare non possumus, et quidem nil aliud restat, nisi ut aegrae incrementum speciemque perpendamus, et si ad venerem unquam incitata fuisset, quaerere debeamus. Si ita sit, ex his omnibus simul conjunctis, atque animo diligenter perpensis, de morbi causis et origine, conjectura trahenda est.

CURATIO.

Quoniam morbus hic, ex totius corporis, et potissimum vasorum uteri debilitate, pendere apparet; medendi consilia, quae naturaliter exoriuntur, sequentia sunt.

1mo, Causas, si evidentes sint, quam primum amovere.

2do, Symptomata urgentia levare.

3tio, Vim tonumque corporis, et praesertim uteri restituere.

Primum consilium pro causarum diversitate varie absolvendum est. Si labor durus, continuusque, cibi vestimentique inopia morbum intulerint; requies, otium, diaeta nutriens, et vestimenta lanea adhibenda sunt. Si animi affectus deprimentes vel excitantes morbo originem dede-

rint, eorum causae, quantum fieri potest, auferendae sunt, atque aegra, blandis sermonibus permulceri, et grata societate animari, debet. Pari ratione amovendae sunt causae reliquae, adeoque manifestus est modus, quo evitandae vel amovendae sunt, ut neminem in re medica versatum latere queat.

Cum vero morbus ex quodam ovariorum defectu oritur, signis molestis occurrere, aegraeque valetudinem et vires maxima diligentia sustentare, nos oportet; curatio enim natura sola efficienda est.

Si hymen imperforatum causa sit, impedimentum chirurgia amovere necesse erit.

Signa, quae maxime urgent, sunt, cruditas, acor, inflatio, et alvus astricta; his sublevandis absolvitur consilium secundum.

Si ventriculus, alimentis crudis, indigestis, diuque retentis, male afficiatur, emetica mitiora,

ut Ipecacuanha, et anthemis nobilis levamen certissimum afferunt.

Acor remediis absorbentibus optime levatur, ut magnesia. Inflationi occurritur carminativis, qualia sunt; aether sulphuricus, asafoetida, zingiber, cinnamomum, &c.

Si alvus astricta sit, adhibenda sunt purgantia, ex quibus aloe in hoc morbo palmam sibi jure praeripit, nam alvum solvit, uterum stimulat, motumque sanguinis in ejus vasa auget, debilitatem vero minime inducit.

Ad consilium tertium nunc perventum est. Hoc regimine idoneo, et remediis tonicis, atque stimulantibus, perficiendum est. Et primum de regimine; hoc diaetam, exercitium, et vestimentum, amplectitur. De quibus in ordine pauca dicemus.

Diaeta. Valetudinem viresque ex diaeta multum pendere, manifestum est; itaque sequitur, ut

ad hunc morbum sanandum, qui haud raro ex debilitate originem ducit, diaeta idonea plurimum valeat. Ad hoc propositum peragendum, ex omni fere genere plantarum aegram abstinere oportet, quippe quae, nutrimentum nimis parce praebendo, in fermentationem citius ruendo, et aerem acidaque gignendo, corpus debilitant, omniaque signa graviora reddunt. Nec minore cura evitanda sunt omnia alimenta viscida, concoctuque difficilia, ut adeps, atque condimenta pinguia et oleosa. Cibus animalis, levis, nutriens, facilisque concoctu, ut gelata, caro assa, cum quibusdam farinaceis, praesertim pane bene fermentato, adhiberi debent. Aegra, vinum rubrum, vel spiritum vini, cum aqua admistum, pro potu habeat, ea vero quantitate, quae corpori grata foret, excessus enim nunquam non timendus.

Exercitatio, in chlorosi optimos affectus edit, omnes enim secretiones et excretiones, praesertim exhalationem cuticularem promovet, cibi appetentiam acuit, concoctionem adjuvat, sanguinis motum

accelerat, cursumque ejus in vasa uteri per aortam descendentem dirigit, et totum systema roborat. Viribus tamen aegrae accommodari debet, nam si nimis violenta sit, maxime nocet. Si aegrae vires non multum fractae sint, ambulatio, saltatio, et sella pensilis, adhibenda sunt. Viribus autem fractis, morboque provecto, aegram equo vel rheda vehi, necesse erit. Si haec sub Jove frigidulo agantur, aegram plurimum reficient.

Vestimenta. Aegram vestimentis laneis indui oportet. Haec enim perspirationem constantem, et aequabilem, promovent, vasaque subcutanea stimulant.

De remediis tonicis, quorum praecipua sunt, cinchona, ferrum, et balneum frigidum.

Cinchona, quae dotibus tum amaris, tum astringentibus, gaudet, medicamentorum roborantium princeps est, forma pulveris sumpta, maxime pollet. Si autem respueret ventriculus, aromaticum adjungere necesse erit; aut infusum, ex-

tractum, vel decoctum ejus usurpari possunt. Usus ejus subinde intermittendus est, nam diu adhibita, ventriculi tonum (aeque ac alia amara et astringentia) magnopere minuit.

Ferrum, propter vires ejus tonicas, multum et merito laudatur. Fibras musculares constringit, sanguinis motum accelerat, secretiones parcas auget, corpusque firmius reddit. Hinc utilitas ejus in hoc morbo evidens est. Nonnulla praeparatorum ejus, uti carbonas praecipitatus, carbonas, et sulphas, commode admoventur sub forma pillularum, conjuncta cum cinchonae vel gentianae luteae extracto. Tinctura muriatis ferri saepe prodest, et ventriculo grata est. Limaturae caeteris praeparatis posthabendae sunt, nisi enim cum acido, in transitu per ventriculum vel intestina, jungantur, prorsus inertes sunt. Aquae medicinales ferratae saepe cum fructu usurpantur.

Balnea. Ad vires reficiendas, corpusque firmandum, exercitio secundum locum tenet balneum frigidum. Ad hoc perficiendum, in balneo per

tempus admodum breve tantummodo morandum est; praecavere autem, ne sequatur debilitas, aegram, exercitio leni, antequam in balneum descendat, uti, prodesset, non ad lassitudinem, sed sensum caloris gratum excitandum, cursumque sanguinis ad superficiem dirigendum. Si vero exercitium male sustineat aegra, vice ejus, corpus totum, et praecipue extremitates inferiores, strigile vel panno laneo calido, diligenter fricanda sunt. Vel siquando vires aegrae tam multum fractae sint, ut etiam post haec adhibita, impetum balneo frigido factum, ferre nequeat; forsan tamen balneo tepido ad gradum septuagesimum quintum vel octogesimum thermometri FARENHEITEANI calefacto, cum commodo uti incipiat, temperiem ejus sensim imminuens, secundum aegrae sensationem, atque effectus, quos edit, donec tandem ad frigidum usque redigatur, cui nunc assuefacta, in usu ejus perstare valebit.

De remediis stimulantibus, emmenagogis dictis, quae efficacissima esse videntur, sequentia sunt; scilicet, cathartica acriora, ut aloe, hellebo-

rus niger, hydrargyrus, rubia tinctorum, gummi calida seu foetida, ut asafoetida, juniperus sabina, electricitas, et venus. De quibus breviter nunc agendum erit.

Cathartica acriora ut aloe, (ait Gregorius) "solutu praesertim difficilia, adque imum usque intestinum suam acrimoniam deducentia, non illud modo, sed, propter vicinitatem partium vasorumque conjunctiones, uterum quoque insigniter irritant, et menses saepe efficacissime eliciunt; neque aliud fere medicamentum quam aloe hoc consilio frequentius aut felicius adhibetur. Haec quidem, et sane omnia hujusmodi medicamenta, in mensibus provocandis adeo sunt efficacia, ut ipsos saepe intempestive eliciant, mulieribus scilicet quae uterum gerunt, unde ingens profluvium, et abortus, vel forsan vitae ipsius discrimen*."

Helleborus niger, medicis antiquioribus, praecipue celeberrimo doctore Mead, ob vires suas in

---

* Vide Greg. Consp. Med. Theor.

mensibus eliciendis, summis laudibus elatus fuit. Sed equidem multum abest, ut a recentioribus tam magni pendatur, tamen minime abnegant, quin interdum ad id cum fructu decurrendum est.

Hydrargyrus, cor, arterias, et omnia etiam minutissima totius corporis vasa stimulandi viribus magnis praeditus est, ita omnes secretiones et excretiones auget, atque obstructione amovenda omnibus aliis medicamentis longe praestat. Ex his tam magnis virtutibus, remedium in hoc morbo aliquando non inutile fore, concludendum est.

Rubia tinctorum, magnas sibi laudes olim assecuta fuit, has vero ad praesens minime tenet; sed de utilitate ejus non adhuc inter medicos convenit, nam dum medici nonnulli peritissimi in ea minimas vel fere nullas vires inesse putant, alii, profuisse, se vidisse narrant.

Gummi calida seu foetida, ut Asafoetida, vim tum stimulantem tum antispasmodicam habent, et

omnium consensu medicorum ad menses promovendos haud raro utilia fuerunt.

Juniperus sabina, medicamentum calidum et stimulans est, et ad hunc morbum sanandum multum contulisse fertur: ideoque usus ejus (remediis mitioribus frustra admotis) minime praetermittendus est.

Electricitas, omnium stimulantium efficacissimum est, et ex applicatione ejus, multis aliis incassum adhibitis, saepe apparuere menses. Forsan optime admovetur scintillas electricas ex uteri lumborumque regione eliciendo.

Venus, de qua concinne dixit GREGORIUS: "Quantum hoc in mensibus evocandis valeat remedium, plurimae puellae, donec virgines erant, pallidae, macrae, male sanae, felice conjugio, nitidae, vegetae, roseae, brevi factae, non ambigue testantur *."

---

* Vide GREG. Consp. Med. Theoret.

Nunc tantummodo observari restat, ut haec stimulantia validiora aegris jam multum debilitatis atque supra modum irritatis minime applicanda sunt: quippe quae omnia symptomata graviora reddunt, vel etiam nova excitant. Viribus autem, regimine idoneo atque remediis tonicis, primum refectis, ad ea cum fructu haud raro confugiendum est.

FINIS.